Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 127
Quelle:
Copyright:

Inter res uiuas tenet hoc memorabile pignus.
Vita futura bonis in porticibus ſalomonis.
Vita futura malis in proſtibulis babilonis.
Ergo futurorum ſitiens augmenta bonorum
Liutoldus *monachus qui multa labore patrauit*
Scripſit et iſtud opus. pro poſſe ſuo decorauit
Signifero cęli delegans mente fideli.

Sane *multa labore patrauit Liutoldus* hic Coenobita *Lunaelacenſis*, nam vaſto etiam Volumine insignis καλλιγραφος Vitas SS. ſeu *Paſſionale* exaravit, quod, cum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertineat, hic indicare ſufficiat, et in *Chronico Lunaelac.* p. 128. Poemation ejus de Monaſterii Fundatione legitur. Vixit vero et ſcripſit medio Sec. XII. ſub Abb. *Walthero*, ut ibid. notatur, per *Cęli Signiferum* innuens *Michaelem* Angelum Monaſterii Tutelarem. Praeſens porro ejus Opus eſt *Evangeliarium* multis παρεργοις comitatum; nam praeit *Capitulare* Evangeliorum per annum, plurimum cum eo concordans, quod ſupra e Codice Sec. VIII. recenſui, niſi, quod ex *Octobri* nonniſi Dies VII. XIV. et XXV. memorantur, tum ſequuntur omnia, quae habet mox dictus Codex, etiam Breviarium Capitum et pereleganter depicti Porticus Canonum Euſebianorum. Cujusvis Evangeliſtae ſcribentis Icon viſitur paginam in area aurata replens, pagina obpoſita in area violacea initium cujusvis Evangelii literis quadratis aureis exhibente, quod mire laeti margines circumdant. Nec id ſatis; *Lucam* enim Chriſti Nativitas et angelicus ad Paſtores Nuncius, item Ingreſſus triumphalis in *Jeruſalem*; *Johannem* vero cum ultima Coena et Apoſtoli ad ποδονιπτρον diſpoſiti, tum Fixio in Cruce, Tumulatio, Deſcenſus in Limbum, variaeque Servatoris adparitiones ornant. Evangeliſtae omnes *Argumenta* et *Breviaria Capitum* praeferunt, quorum *Marcus* cenſet XIII. *Lucas* XXI. *Johannes* XIV. ut Codice *ſupracit.* cujus ἀπογραφον praeſens videtur. In deſcribendo tamen ἀνθρωπινον τι quandoque paſſus eſt *Liutoldus*; ita *Joh.* C. I. omiſit: *neque ex uoluntate carnis*, quod proclive Librariis, quando repetitiones vocum occurrunt; et mox ſcripſit: *ipſe enarrabit* pro *enarravit*, quod rurſus pronum ob adfinitatem τȣ *b* et *v*, praecipue, ubi quis e dictantis ore excipit, ut in pluribus Codicibus legere me memini: *habitabit in nobis* pro *habitavit*.

In *fol.* Codici praevio manu συγχρονῳ notatur: *Hę reliquię clauſę ſunt infra maieſtatem huius libri. De ligno ſancte crucis. Mathie apoſtoli Mart. Narciſſi epiſcopi et mart.* aliaeque plures. Vides κειμηλιον iſtud primo Theca pretioſiore conditum ſacris ritibus fortaſſe deſerviiſſe. Diſparuit illa; verum etiam haec, qua nunc veſtitur, ſatis vetuſta eſt.

LXXXII.